



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 75. Rei gestæ notitia S. Purpuratorum Collegio a Benedicto XIV.  
Pontifice Maximo in Consistorio communicata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.

Ita scripsit & sensit de summo Pontifice in rebus Ecclesiam concernentibus Rex Christianissimus, qui nullum in terris superiorem se quoad temporalia agnoscit. Quibus ergo Ecclesie Gallicanæ systema invehere libet, filiale quoque obsequium & reverentiam erga S. Sedem, ejusque supremum Caput imitari non pigeat.

§. LXXV.

*Rei gestæ notitia S. Purpuratorum Collegio a Benedicto XIV. communicata.*

Hoc negotio ad vota confecto Benedictus XIV. Pontifex Maximus die decima tertia Januarii anno 1757. <sup>secretum</sup>, ut vocant, habuit Consistorium, in quo præprimis de vacantibus Ecclesiis Episcopalibus præfatus, gravibus oppido verbis sacro Purpuratorum Collegio injunxit, ut hanc allocutionem suam Consistorialibus actis insererent. Postea sermonem convertit ad valetudinis suæ statum adeo periculosum, ut Sanctissimo Viatico, ac extrema unctione muniri voluerit. Postquam vero, prosequeretur Pontifex, fervidæ ad Deum preces fuerunt fusæ, atque hac



hac in re ipsum S. Collegium tam laudabiliter suo exemplo præluxit, ut illud ferme omnes Ecclesiasticorum communitates in Romana urbe imitatæ fuissent, factum sit, ut ex afflictæ valetudine sua paulatim emergat, speretque, fore, ut vita superstes adhuc, ut antea, per aliquod temporis spatium Sacræ Sedi deservire, & interim de peccatis suis etiam pænitentiam agere queat. Hæc cum tam effusa gratiarum actione erga S. Collegium exponebat, ut Cardinalium potissimi, cum a lacrimis sibi temperare haud possent, e Consistorio exirent. Postea Pontifex ad alteram sermonis sui partem conversus, de maximo Franciæ negotio egit, exposuitque, jam notum esse omnibus, quod tota hæc controversia duo præcipue capita complecteretur, I. reverentiam Constitutioni *Unigenitus* debitam, II. jurium Ecclesiæ conservacionem circa administrationem Sacramentorum. Se cum Galliarum Rege convenisse, ajebat Pontifex, ut horum unum ab altero capite separetur, & ad Regiam suam Majestatem scribatur particulare Breve, quo Ecclesiæ jura servarentur illæsa, quin ejusmodi attentatorum rei per publicam manifestationem irritarentur; dein circa alte-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.



Sæc. XVIII. rum caput edatur epistola encyclica ad  
A. C. 1742. Episcopos, qui in suis comitiis congregati, & Regia auctoritate suffulti ad sacram Sedem recurrerunt. Ita omnino factum est: Breve enim in confidentia ad Regiam suam Majestatem scriptum sine ullius contradictione acceptatum fuit, & sola Epistola encyclica examini subjecta est, quam ad melius esse Aulæ communicare placuit, priusquam publica redderetur: ubi vero reflexiones super dictam epistolam encyclicam factæ, fuerunt auditæ & examinatæ, tandem unanimi consensu non modo approbatum fuit id, quod obsequium Constitutioni *Unigenitus* debitam concernit, sed etiam id, in quo controversiæ inter Episcopos exortæ vertebantur, eoquod omnia ejusmodi verbis fuissent concepta, quæ Gallicana principia nullo pacto læderent. His ita expositis Pontifex retulit ea, quæ tam ab Ejus Nuntio, quam per plures alias literas intellexisset, nimirum, quod Regia sua Majestas ipsamet pro tribunali sederit, epistolam encyclicam strenue defenderit, & Ecclesiæ auctoritati egregie prospexerit, remque ita disposuerit, ut Ecclesia in suis juribus circa Sacramentorum administrationem non periclitaretur. Hæc se



se sacro Collegio communicare voluisse, Sæc. XVIII.  
 addebat Pontifex, ut quilibet Deo be- A. C. 1742.  
 nedicat, Eum pro pace conservanda in  
 Ecclesia Gallicana exoret, & Regem  
 Christianissimum exaltet; eoquod pro  
 suo, quo ardet, Religionis Zelo, &  
 affectu erga Ecclesiam, quantum va-  
 luit, & quantum fieri potuit, fecerit.  
 Insuper sibi notum esse dicebat Ponti-  
 fex, quod epistola a Rege scripta fue-  
 rit adjuncta, eaque adhucdum in ma-  
 nibus Gallici Legati sit, quam quidem  
 nondum receperit, postera tamen die  
 mane recepturus sit, de cetero nova,  
 quæ in illis indicantur, contineant  
 in forma authentica ea omnia, quæ  
 mox S. Collegio annuntiasset, & quam-  
 primum has literas receperit, mox ad  
 eas responsum daturus, Regique gra-  
 tes sit repensurus. Denique præce-  
 pit, ut hæc Regis epistola, utpote pre-  
 tiosum magnique momenti hujus Pon-  
 tificatus monumentum in Archivo ar-  
 cis S. Angeli asservetur.

## §. LXXVI.

*Solemne Jubilæum erecti Episcopatus  
 Herbipolensis.*

Hoc item anno universus Franciæ O-  
 rien-

Z z 5

rien-